

Vita et obitus s. Iuuenalis episcopi Narniensis (recensio Beneventana)

[Page 219]

Cum de uniuerso orbe terrarum omnipotens et pius Dominus sanctos suos eligeret, ut membra capiti compaginaret, ut scriptum est: Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae, ut incredulis gentibus ad predicandum et manifestandum suam gloriam eos destinari maluisset, quatenus impleretur hoc quod per prophetam dictum est: Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae; et iterum: Vox tonitruui tui in rota, contigit ut Nequine celeberrimae urbi patronum et defensorem grumeret sanctissimum sacerdotem Iuuenalem futurumque episcopum, ut eius uineam excoleret et colendo uberiores botrones redderet; de quorum melopso liquore uniuersus populus satiaretur.

[].
Sicuti Romae, quae princeps et domina urbium est, annuit principes apostolorum Petrum ac Paulum, ab Oriente uenientes, ut sibi operarios, ac demum Italiae, Tusciae, Campaniae sarmenta paginaret. Sicut Sebastiae attribuit Iohannem Baptistam; Hierosolymis, prouincia Syriae, duos Iacobos et Mathiam, ac Stephanum; Patras, prouincia Achaiae, Andream apostolum; Ephesi, prouincia Asiae, Iohannem Euangelistam; Bartholomeum Lycaoniae, prouincia Armeniae; Thomam <in> Indiam Agarenorum; Philippum Hierapoli, prouincia Asiae; Matheum Armenia, quae est possessio in terris Amonitorum; Simonem Chananeum Chorinti, in terris Quaddi; Marcum Alexandriae, prouincia Egipti; Lucam Beotiae, prouincia Mesopotamiae. Et per eorum patronatum et merita simulque cultura et uinea exuberaret in racemis, et orbis totus floreret per gloriam predicationis.

[].
[].[Page 220]

Illis enim diebus cum plurimae urbes per predicationes et sanctiloquos uiros uerbum Dei suscepissent, et ad Christi fidem inihanter affectarent et iam gregatim concurrerent, sola miserrima Narnia, quae Nequina uocata a nequitia, immunis remanserat a gratia predicationis, forte non absque diuina dispositione, quia futura erat curari et omnibus uitiiis expoliari a faustissimi Iuuenalis predicatione et medicamine. Cum autem eadem ciuitas solecismis et barbarismis studeret, et omnibus uitiiis polleret, et nullus locus lateret, qui fanis non esset repletus, et diuerso sacrificiorum ritu cotidie sacrificabant Ioui, Iano, Herculi, Marti, Saturno, Vintumno, Sentino, Iunoni, Mineruae, Cereri, Dianae, Fortunae, Libero patri, Cironi, Naptuno, Vulcano, ceterisque numinibus, quae magis demonia quam numina comprobantur. Occasione redemptor humani generis reperta, sanctum Iuuenalem ex Africae partibus huic ciuitati destinari uoluit hoc modo, quod in sequenti dicturi sumus.

Dum Augustus Cesar contra Persas bellaturus procederet, eum ingenti caterua militum stipante, et de omnibus nationibus milites ad eius imperium concurrentes, sola Narnia eius iussa contempnens consequi floccipendebat. Qui dum se taliter Augustus uidisset contempni, et expeditionem relinqui nullo modo auderet, quia sic se tempus exigebat, ipse cum fortissimis militibus bellaturus adiit Persidam et genti Carporum Narniam destituendam donauit. Post cuius processionem ipsa gens Carporum diuersis machinis et apparatu cum ingenti letitia obsidentes, ad hoc perduxerunt habitatores, ut inter se gladiis interficerentur, ut unus, qui remaneret, suo gladio incumberet. Post hoc factum alacres redditus Carpi et compotes uoti effecti, securi iam ingressi ciuitatem,[Page 221]

combusserunt eam igni, et spolia diripientes omnia menia eius destituentes, iam depopulata dereliquerunt bestiis. Post non multum temporis cum Cesar Augustus, deuicta Persida, cum multis excubiis uictor rediret ad propria, et per eandem ciuitatem transitum haberet, eius ruinam uidens ingemuit, et condolens eius miseriis iussit restaurari partem, pro ut uires suppeterent, et ad elucidandam ipsam opinatissimam ciuitatem, pontem celeberrimum ibi fieri iussit. Pontem namque mirae magnitudinis ac latitudinis etiam et longitudinis, ita tamen, ut uix per triginta annos expliceretur et, ut fertur, nullius prouinciae similiter inueniretur; ac demum suo carmine signans, fabris ob perficiendum reliquit. Cuius aqueductum per quindecim miliaria et eo amplius intromisit: de cuius altitudine uel circuitu, uel in quibus longitudinibus transformatus est mons nunc nobis silendum est. Statuam autem ibidem mirae pulchritudinis fieri iussit, congaudens suo operi, ibidem configi precepit, ut fama bearet eum per secula et nomen illius uiueret per uniuersum orbem. Et de uniuersis ciuitatibus multitudinem populorum aggregauit, < et omnes qui de alia regione ueniebant > ciues ipsius fecit; et a flumine Narco, qui de naribus lapidei uituli sculpti egreditur, nomen imponens Narnia nuncupata est, et Colonia, quia omnes, qui de aliis regionibus illic habitandi < causa > ueniebant, siue soli siue cum eis, qui hospitabantur, incolae uocabantur. Nunc, Deo miserante, Narniam et Coloniam relinquamus, et ad propositum opus magno studio et cautela reuertamur, et dilucidius explere satagamus. Predicta autem urbs crebrius uisitabatur a multis sanctis; maxime autem a sancto Terentiano, et a sancto Feliciano, qui multas iniurias ibi per-

[Page 222]

pessi sunt, et diuersis plagis et tribulationibus afflicti carceralibus custodiis retruduntur. Sanctus uero Valentinus incessanter predicabat eis uerbum salutis, sed minime fructum laboris obtinere ualebat. Accidit autem ut sanctus Iuuenalis, sacerdos et medicus sicuti superius mentionem fecimus, ex Africa Romam ueniens, apud matronam, nomine Philadelphiam, quae erat ex genere Augustorum, aduentasset, cum honore et magno tripudio recepit, et eius lassitudini incessanter necessaria ministrabat. Quem cum ipsa mulier cognouisset esse uirum Dei, diligentissime ei seruebat; et affectantem eum detineri ibi, cepit exquirere, in qua ciuitate non esset episcopus. Dum autem cognouit, quia Narnia absque pontifice esset, misit ad eam uiros prudentissimos, qui explorarent, si in ea essent fideles. Et dum repperissent in ea uiros ac mulieres nobiles de Anichilorum genere, habito consilio cum eis, si uellent sibi episcopum consecrari, quod cum utrisque placuisset, pariter ad urbem Romam uenerunt et petiuerunt a pontifice, ut eis Iuuenalem sacerdotem Narniae consecraret episcopum. Quod cum Deo fauente impletum esset, uenerunt gaudentes et ymnidicis laudibus concinendo de consecratione sancti episcopi usque Narniam.

Ingressus autem Iuuenalis apostolus predictam ciuitatem cepit alloqui populum, et lachrimabili uoce dicens: «Conuertimini, filii, et Deo creatori flectite colla, et ab ydolorum cultura recedite, ut eternas penas euadere possitis. Demum uero, facto ibidem oraculo sancti martyris episcopi Valentini, arasque ibi constituens, sacrosancta mysteria Dei suo more celebrabat; in quo loco omnipotens Deus per suas orationes multa beneficia prestitit et mirabilia ostendit. Quadam autem die,

[Page 223]

dum ad supra nominatum oraculum properaret, impegit in ereum taurum templi Liberi Patris. Et tunc concite immolans, exiens ut certans eum, nitebatur in ore eius mittere idolitum; et producens gladium, uersa manica, in os eius mittere conabatur: qui, strictis dentibus, respuens uirtute, eius rabiem cum furore contempsit. Cum autem ipse sacrilegus et tyrannus gladium uoluisset ad se reducere, manu propria sibi intromisit in gutture: et inciso gurgulione, cepit cruentas squamas per os euomere, et cepit uiritim clamare: «O cultor Dei, libera me, per Deum, qui te elegit ab interiori morte, et conuertar ab ydolorum cultu sequarque uestigia tua in cunctis, quae iusseris»: sed quia indignus fuit haec obtinere, inter uerba deprecationis efflauit.

Populi autem uidentes talia stupuerunt, et mutuo dicebant, quia: «Hic homo aut apostolus est, aut angelus Dei»; et fere omnes crediderunt, et baptizati sunt eodem tempore uiri ac mulieres promiscui sexus quasi duo milia. Et matrona Venantia nomine, primaria ciuitatis, nobili genere orta, baptizata est cum filiis suis; quae et ministrabat ei et de suis facultatibus ipsi sancto uiro offerebat. Hospitium uero sancti uiri istius luuenalis erat ad Portam Superiorem in turre coherenti muro, in uico, qui uocatur Nouus: nam et stratum, in quo quiescebat dormiens, nunc usque cernitur in conclau ipsius turris.

Nunc coturnato delector reserare sermone miraculum autem, quod eius temporibus contigit. Post fere quadringentos annos ipsius perditionis Nequinae ciuitatis, ipsa gens Carporum, mixti Ligures Sarmatique, de suis regionibus egressi ad uastandas regiones et contiguas ciuitates properabat. Qui dum iam multas ciuitates depopulassent, uenit in ual-[Page 224]

le, quae est inter Narniam et Interamnes, quae nuncupatur Tyria Suspecta, et ambarum ciuitatum predia obsidebant. Quae cum diuersis preliorum machinis pugnantes ciuitatem predictam Interamnem, ceperunt eam; et facta preda non parua, depopulata est, et strages populorum maxima effecta est. Dum autem sanctus luuenalis adhuc uiueret, et Narnia desideretur a prephata gente, et nimium coangustarentur, ut iam spes euadendi non esset, suis fidelibus indicens ieiunum ac saccis uestiri et cinerem aspergi, et in ecclesiis teneri a paruo usque ad magnum. Et sic cum omnibus Deo preces offerens, ut suum populum liberaret ab instanti morte et ingenti angustia. Quorum prece miseratus Deus omnipotens noluit infructuosam habere, sed benigne audiens postera die attribuit, quod lacrimabiliter expectabant. Mediante uero die altero, et sol suos radios montes et omnia fulgoraret et nulla nubila esset, in aera tanta fulgora mixta turbinibus in eorum castris ceciderunt, ut amplius quam tria milia fortes milites cum armis suis submersi sunt iuxta murum antiquum herentem templo Herculis, qui ultra nec apparuerunt nec uiuentes in hoc seculo. Quod factum uidentes ciues una cum sancto luuenale, madefactis genis, Deo grates referebant pro euasione periculi, et quia suum populum liberauerat a presenti morte. Beatus namque luuenalis, dum se exauditum cerneret et populum per omnia confidentem in Dei uirtute et ereptione, Deo gratias agens et eorum fide congaudens sacrosancta mysteria pro eis offerens sacri corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi monebat eos esse participes. Duxerat autem beatus luuenalis secum ex Africa calicem paruulum operato ex crystallino metallo, in quo Deus cotidie sua mirabilia ostendebat, sicuti in sarepteno urceo oratione et meritis predicti uiri.[Page 225]

Qui, dum sacrificaret et libamen in eo funderet, et ex more populum communicaret et calicem labiis propinantium preberet, tanta uirtus in eo iacebat, ut, si centum milia adessent homines, sufficeret ad potandum, nulli ministrorum augere aut fundere aliquid postea concedebatur. [] Nam et ipse calix usque hodie diligenti cura custoditur; et die Natalis eius a ministro producitur, catenulis aureis et gemmis ornatus, eo quod ansulas habebat.

Beatus autem episcopus luuenalis, postquam Deo innumeros acquisiuit filios, ut sui agonis fructum perciperet, post septem aristas de hac luce subtractus celestia regna fruiturus ascendit; ad cuius exequias omnis turba merentium christianorum confluens lachrimabili uoce plorabat, ita ut aera magnis impleretur questibus et uocibus multorum; cuius sanctissimum corpus tandem consolata phalanx sacerdotum et clericorum collegerunt et locum diligentissime diuersis odoribus perunxerunt; et sic demum pulchris indutum linteolis sepulturae honorificae tradiderunt ad Portam Superiorem, Via Flaminia, miliario ab Urbe quinquagesimo quinto, sub die septimo Iduum Augustarum. Cuius Natalis celebratur quinto nonas Magii, quo die et Sanctae Crucis domini nostri Iesu Christi colitur inventio, quae ab Helena augusta, matre Constantini principis, facta est, prodente Iuda, qui nunc Cyriacus uocatur, Caluariae in loco.

Sed silentio non est tegendum, fratres karissimi et filii

sanctae Ecclesiae, quae et quanta mirabilia per eum Dominus ostendit. Ipse enim adhuc iuuenis, cunctis fidelibus suae diocesim conuenientibus, asseruit per uisionem ammonitum se fuisse, ut pro puppi, quae ui mari impellebatur, ne mergeret, Dominum exoraret; quod postea exitus rei edocuit hoc modo. Nauigantes autem quodam tempore uiri famosissimi,[Page 226]

repleti omnibus bonis et gazis, ab Oriente, numero quasi trecenti, et cum per tranquilla maria uelificarent, subito exorta est immanis tempesta, ut etiam nullus crederet esse iam spem euadendi: ruunt uenti et zephiri secant cana equora, et ab imo turbantur mare, et nauis periclitabatur conteri et scindi. Extemplo auditur stridor rudentum et antemnae cum suis uelis colliduntur, ui uentorum cogente, ac demerguntur in fluctibus; geminos temones cum archiromachis, nautis et omnibus utensilibus ipsius nauis iam potens mare abstuleretur, et sola ipsa merens et stupens instabiliter ferebatur per undas. Fit ingens clamor uirorum merentium, et dum preces ad Dominum cum lachrimis funderent, subito apparuit eis sanctus Iuuenalis, episcopus Narniensis, expansis brachiis, super aquam astantem, et Christum pro eorum ereptione exorantem. Quem nautae uidentes stupore et ammiratione correpti, quamuis esitando eius amminiculum implorantes dixerunt: «Si uir Dei es, libera nos!». Et continuo mare quieuit, et uires uentorum confractae sunt et omnia, quae mare obsorbuerat, iuxta naue inuenta sunt; et sic demum ad optatum et securitatem plenum portum transducta est. Viri autem nautae curiosius intendentes in beatum uirum, interrogati sunt eum, quisnam esset; qui ait: «Ego sum Iuuenalis, Narniensis episcopus. Agite Deo gratias, qui uos liberauit de periculo mortis; si autem me uolueritis scire, ad Portam Superiorem Narniae me indagare studemini et sic effigiem meam diligenter inuenietis». Et haec dicens, ab oculis elapsus est: qui ualde admirantes glorificabant Dominum saluatorem nostrum Iesum Christum. Expletis actibus suis, miserunt Narniam quadraginta uiros prudentissimos cum magnis muneribus. Et cum iter a portu usque ad ciuitatem quasi ducentorum miliaria extende-[Page 227]

retur, tam concite abierunt, ut per duos soles suum iter perfecterunt. Qui dum introissent ciuitatem, exquirentes ubi maneret beatus Iuuenalis, liberator eorum, et dum didicissent ab accolis iam obisse, eius sepulturam cum desiderio uidere rogabant. Qua agnita et uisa, unus suorum, nomine Terius, qui quartanis laborabatur febribus, sepulcro eius tacto, continuo euomuit omne uenenum colericum, sanusque recessit. Post uero, dato amplissimo munere, successori eius, uiro Maximo episcopo, qui quadraginta annis et tribus mensibus eius cathedram rexit, ut basilicam ei cum confessione construeret, et sacrum corpus in abdito loco reconderet ac auro et argento pretiosisque lapidibus constricta ueneraret per secula: quod et factum est. Super eius uenerabile corpus haec carmina superponentes signauerunt in posterum:
Secretus locus intus inest sanctique recessus,
Quem famulus Christus sancti Iuuenalis elegit.
Rupe caua placuit abscondere membra sepulchro,
Ne polluta manus sacrum contingere possit.
Sanctorum socius meritis electus in antro.
Die uero Natalis eius tam ipsa confessio, quam marmora et aurum uel argentum ipsius tali sudore aquatili distillant, ut cum spungioliis tergentes fideles in ampullis recondant, mixtoque sancto oleo, multis infirmitatibus proficiatur, et Domini cooperante gratia, perfectae sanitatis restituatur. Haec autem gesta iubente uiro beatissimo Maximo edita sunt, petentibus eis, qui uoluerunt nosse uitam et actus ipsius, quique liberati sunt, de periculo mortis. Et reuersi cum magno gaudio, agentes gratias Deo per Iesum Christum, cui est omnis honor et imperium una cum Sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.